

rint castitatis, pudicitiae ulciscantur injuriam, noverint officiorum tempora, quod majus, quod minus sit, quod cuique aptum sit tempori, et ut id solum sequantur, quod honestum est. Sane ubi duo honesta, id quod honestius est, praeponendum putent. Hi jure benedicti. Si quis ergo manifestet justitias Dei, et incensum ponat, benedic Domine virtutem ipsius, opera manum ejus suscipe¹⁾, ut gratiam propheticae benedictionis inveniat apud Eum, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

B. HIERONYMI

EPISTOLA AD PAULINUM

DE LECTIONE SCRIPTURARUM *).

1. Frater Ambrosius, tua mihi munuscula perferens, detulit simul et suavissimas litteras, quae a principio amicitiarum fidem probatae jam fidei, et veteris amicitiae nova praeferebant. Vera enim illa necessitudo est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non praesentia tantum corporum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor et divinarum scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historiis, quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transiisse, ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent.

2. Sic Pythagoras Memphiticis vates, sic Plato Aegyptum, Architas Tarentinum, eamque oram Italiae, quae quondam magna Graecia dicebatur, laboriosissime peragravit;

1) Deut. 33.

*) Hieronymi Opera. Edit. Tribbechov. Francof. 1684. T. III. p. 5. et seqq.